DE INEFFABILI TRINITATIS *MYSTERIO* ORATIO

HABITA IN SACELLO PONTIFICIO

AD SANCTISSIMUM D. N.

CLEMENTEM XIV. PONT. MAX.

A FRANCISCO SILVESTRI BOVIO

PATRITIO ROMANO, ET BONONIENSI, EX COMITIBUS PODII S. MARIÆ, ET EX MARCHIONIB. BALNEI.

COLLEGII CLEMENTINI CONVICTORE.



VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA

ROMÆ MDCCLXXII.

EX TYPOGRAPHIA CRACAS.

SUPERIORUM FACULTATE.


Sanctissimo Domino Nostro
CLEMENTI XIV.
PONTIFICI MAXIMO.

FRANCISCUS SILVESTRI BOVIUS
FELICITATEM.

HOC eſt in more poſitum apud omnes, quotquot uſpiam ſunt, Mortales, ut ſecundum Deum Principi ſuo quiſque fere Civis, ac Subditus munera ſua deferre ſoleat cum religione, pietateque ductus; tum vero ſignificandi obſequii ſui gratia, animique demiſſionis in eum, cujus eſt univerſæ Reipublicæ bono conſulere. Id mihi nunc Beatissime Pater *faciendum eſt omnino, non una quidem, atque ea graviſſima ratione, dum hanc eandem, quam coram Te, tuo-*

tuoque Sacratiſſimo Senatu Idib. Jun. habui de Summa, et Sacroſancta TRINITATE *Orationem, tamquam munus aliquod a me, exigui licet ac nullius fere pretji, tibi ſiſtere audeo, oculiſque tuis ſubjicere perlegendam. Tibi enim Principi meo, cujus ego ditione, imperioque obſtrictum me eſſe maxime lætor, omnia, quæ a me proficiſci poſſunt, jure omni ſunt debita; et quod caput eſt, ipſe conſtitutus es Dei ſummi, ac providentiſſimi Numine, Eccleſiæ ſuæ in Terris Antiſtes, et Moderator ſupremus; cuique proinde ne dum cœteri Chriſtifideles omnes, ſed ii præſertim, qui in ſortem Domini aſſumuntur, quorum e numero unus Dei benignitate ſum et ipſe, omnia obedientiæ, cultuſque impenſiſſimi debeant argumenta exhibere. Unum hunc propterea, qui hac ætate, tenuitateque mea reliquus erat mihi, adhibeo teſtem obſervantiæ erga te meæ, meique animi obſequentiſſimi. Tu pro ea humanitate, ac clementia, qua mihi verba facienti aures commodaſti, nunc eundem me paterno animo excipias una cum munuſculo meo, tuaque Apoſtolica Benedictione, quam enixe peto, impartias.*

ORA-



ORATIO.

BENE, ac ſapienter, BEATISSIME PATER, Majores noſtri, Prædeceſſores tui, Romani Pontifices (a) inſtituerunt, ut hac feſta luce, qua Sancti Spiritus in Apoſtolos immiſſionis e Cœlo memoriam octo continenter dies celebratam veluti abſolvimus, atque obſignamus, Summæ, et Sacroſanctæ TRINITATIS Myſterium Catholica per Orbem Eccleſia ſingulari cultu, ac pietate proſequeretur. Nam, quemadmodum individuæ in uno Deo Trinitatis cognitio, et adoratio, fruitioque iis, qui Dei Spiritu aguntur, ceu æternum ipſorum

(a) *Joannes* XXII. *P. M.*

Digitized by Google

lorum præmium cum Spiritibus angelicis commune præſtituta eſt a Deo; ita, nedum cæterorum, quæ quotannis agimus Feſtorum poſtremum; Sed et Pentecoſtes, ut ita dicam, complementum ſtatuerent ipſius adorandæ Trinitatis celebritatem, feſtamque diem Principes Paſtores, qui poſiti ſunt a Spiritu Sancto regere Eccleſiam Dei. Præclarum omnino, plenumque Sapientiæ conſilium! Deum, quippe qui Spiritus eſt, in veritate, et Spiritu adoramus: Ubi Domini Spiritus ſit, ibi Filiorum libertatem habemus: Per Spiritum veritatem omnem edocti ſumus: uno verbo, quod continet omnia Spiritus eſt. Age Spiritum in Trinitate, quatenus ipſe Spiritus juvabit nos, præmonſtrante Profeta (a) expendamus. *Spiritum principalem*, Patrem ſcilicet ingenitum; *Spiritum Rectum* Filium Unigenitum; *Spiritum Sanctum* Amborum, alterum Hominum Paraclet[um].

Ac, ne quis principio exiſtimet me ex ingenio meo Verbis, quæ ex Pſalmo recitata ſunt, Myſteriorum omnium ſupremum affinxiſſe; habeo Hieronymum, et Auguſtinum, lucidiſſima Eccleſiæ ſydera, hujuſce intellectionis tamquam duces, atque auctores. Quorum primus: *De Quinquageſimo Pſalmo* inquit, *tres Spiritus nominatos breviter oſtendam* (b) atque hic allatis tribus ejuſmet Pſalmi verſiculis, mox ſubjicit: „Principalem Spi„ ritum appellat, quia Filius ex Patre, et non ex „ Filio;

(a) *Pſal.* L. *v.* 11. 12. 13.
(b) *Comment. in Epiſt. ad Galat. Lib.* II. *C.* IV.

„ Filio. Spiritum autem rectum veritatis, atque „ juſtitiæ Chriſtum Dominum ſignificat: quia Pa- „ ter omne judicium dedit Filio.....Porro Spiri- „ tum Sanctum aperto nomine vocat. Quæ qui- „ dem cum vocabulis, perſoniſque diſſentiant, „ ſubſtantia, naturaque ſociata ſunt, et differenter „ idem Spiritus ob naturæ ſocietatem nunc Patris „ dicitur eſſe, nunc Filji. Ad Auguſtinum vero quod attinet; (*a*) quamquam ipſe Trinitatem hic intellexiſſe nonnullos affirmet, ubi divinitus afflatus Propheta Spiritum principalem, et Rectum, et Sanctum tam diſtincte pronunciavit; proindeque aliorum potius, quam ſuiipſius adferat interpretationem; ſapienter idem nihilominus concludit hanc non hæreticam eſſe ſententiam.

Quibus ita conſtitutis, quis non intelligat, quam apte, quam vere a principali Spiritu, ideſt a Patre confirmari ſeſe poſtulet in obſecratione ſua „ Pſaltes egregius? Pater namque ipſe facere opera „ (*b*) dicitur ideo, quod ab illo ſit etiam origo „ operum, a quo eſt exiſtentia cooperantium Per- „ ſonarum; quia et Filius de illo natus eſt, et Spi- „ ritus Sanctus *principaliter* de illo procedit, de „ quo natus eſt Filius, et cum quo illi communis „ eſt idem Spiritus. (*c*) Et quoniam Patribus fere omnibus facem præferentibus adumbratam in Animæ rationalis facultatibus, et quadantenus expreſſam

(a) *Ennarr. in Pſal.* L.
(b) *Joann.* XIV. *V.* X.
(c) *Auguſtin. De Verb. Matth. Serm.* LXXI. C. XVI.

ſam intelligimus Trinitatem ita, ut intellectus Parentis ſummi, memoria Unigeniti Verbi, voluntas autem Sancti Spiritus præſeferat ſignificationem: magnus ea propter Athanaſius ad Ammonium re-
„ cte olim ſcribebat (*a*) David tamquam ſe ipſe
„ interpretaretur...... Spiritu, inquit, Principali
„ confirma me; ut ſi quando me fædæ cogitatio-
„ nes, (quas quidem ad intellectum pertinere omnes agnoſcimus) conturbaverint, valida me tua
„ virtus, tamquam baſis aliqua ſuſtentet.

At erat ne, cur Propheta Spiritum item Rectum Unigenitum Dei Filium non appellaret? Ecquid enim cenſemus hoc Vatem Sanctiſſimum latuiſſe, quod Jeremiæ tam eſt aperte demonſtratum? *Ecce*, inquit, dies (*b*) *veniunt...., et regnabit Rex, et Sapiens erit, et faciet judicium, et juſtitiam in Terra*. Quid dico Jeremiam? Sibi ipſi non conſtitiſſe dicemus, cum alio in loco Deum interpellans, hæc ab eodem petat: *Deus judicium tuum Regi da, et juſtitiam tuam Filio Regis?* (*c*) Quæ duo, judicium ſcilicet et juſtitia, quum firmiſſimæ ſint æquitatis totius velut baſes, et fundamenta: Cumque ipſi (*d*) Verbo dederit Pater poteſtatem judicium facere; et docente Apoſtolo, Unigenitus ipſe factus ſit nobis a Deo Juſtitia (*e*): utique ipſe Filius is eſt Spiritus Rectus, quem in ſuis

(a) *Collect. Concil Labb. To.* II. *pag.* MD.
(b) *Jerem. C.* XXIII. *V.* 5.
(c) *Pſal.* LXXI. (d) *Joan.* V. *V.* 37.
(e) *Ad Cor. I. C.* I. *V.* 30.

ſuis viſceribus innovari Rex ille Sanctus, vehementiſſime ſuper peccato ſuo dolens, peroptabat. Sed plena ſunt oracula Prophetarum, plenæ utriuſque Fœderis paginæ, plenæ omnium cum Græcorum, tum Latinorum Patrum voces Veritatis, et Gratiæ, et Juſtitiæ, quæ per Chriſtum facta eſt, immo quæ nonniſi ipſemet Chriſtus eſt. Cujus quidem Chriſti Domini verba, ipſo interprete, quum ſint Spiritus, et vita; Verbum ipſum Patri conſubſtantiale magis multo vitam eſſe prædicamus, quæ erat apud Patrem, et apparuit nobis; et Spiritum fatemur, quia Spiritus eſt Deus, et Deus erat Verbum.

Jam vero Spiritum Sanctum a ſe minime auferri David rogabat olim: Spiritum ſcilicet a Patre, Filioque procedentem, utrique Conſubſtantialem, vivificantem Deum, ac Dominum. Spiritus enim ille eſt, quo præſente firmamur, quo abſente corruimus; ſine cujus Numine, ut canebat heri Eccleſia (*a*), nihil eſt innoxium in nobis Hominibus. De quo tam multa, tam magna late patent in Scripturis Sanctis, ut a Spiritus commemoratione inchoata pene Scriptura, in ipſius Spiritus appellationem videatur fere deſinere. Ut enim Moyſes ipſo ſcribendi initio: *Spiritus* (*b*) inquit, *Domini ferebatur ſuper Aquas*; ſic Joannes ſub exitu propemodum Apocalypſeos Scripturam omnem concludat, dicens: *Spiritus, et Sponſa dicunt: veni.* (*c*) con-

(a) *In Sequent. Miſs. Pentecoſt.* (b) *Gen. C.* 1, *V.* 4.
(c) *Apocalyp. Cap. ultim. V.* 17.

Dicat ergo indeſinenter Sponſa ipſa, hoc eſt Eccleſia, una cum Spiritu ad Spiritum eundem; dicat una cum Sanctiſſimo Propheta „ Fidelis quis-„ que, qui Deum rogat in media tribulatione „ conſtitutus, ut ei tribuat intelligentiam Trini-„ tatis, qua præſentis Vitæ conſoletur labores: (*a*) *Spiritu Principali confirma me*: *Spiritum Rectum innova in viſceribus meis*: *Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me*.

(a) *Auguſtin de ſerm. Domini in Mont*, *Lib.* II. *Queſt.* XXI.

Digitized by Google